

Et nos Heinricus praepositus, Nicolaus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis supradictis appropriationi — et unioni — consensum nostrum adhibuimus et praesentibus adhibemus, et in signum huiusmodi nostri consensus sigillum capituli nostri praesentibus est appensum.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen; das des Bischofs ist abhanden gekommen.

No. 592. 1369. 28. Juni.

*Probst und Capitel genehmigen die vom Cantor Palbert gemachten Stiftungen für zwei Altäre der Domkirche.*

In nomine domini amen. Nos Heinricus praepositus, Nicolaus decanus, Theodericus de Cappellendorf scolasticus totumque capitulum ecclesiae Misnensis notum facimus — quod honorabilis vir dominus Palbertus de Molhusin, cantor et canonicus ecclesiae nostrae — coram nobis in capitulo ipso die datae praesentium super huiusmodi specialiter indicto in capella omnium sanctorum, in qua actus capitulares exerceri consueverunt, capitulariter congregatis in plena mentis et corporis sanitate constitutus — duos mansos terrae arabilis sitos in villa, quae media Ebirspach dicitur, et solventes pro censu annuo unam sexagenam et quinquaginta duos grossos Fribergenses et ultra haec pullos ova caseum panem et linum, item quatuor mansos cum dimidio terrae arabilis sitos in villis Dobrowicz et Ermyndorf et solventes pro censu annuo unam sexagenam et quadraginta unum grossum, quinque modios siliginis, tertium dimidium modium tritici, quinque modios avenae et ultra haec pullos scapulas et ova — ecclesiae nostrae Misnensi donavit perfecta donatione inter vivos, per hunc tamen modum, quod bona eadem et redditus, videlicet duo mansi in media Ebirspach cum suis attinentiis vicariae seu capellae, quae dicitur ad imagines, sitae in ecclesia nostra Misnensi, in honorem beatae et gloriosae virginis Mariae dedicatae, quam quidem vicariam seu capellam pro nunc tenet et possidet dominus Nicolaus dictus de Mochow, praefati vero quatuor mansi cum dimidio in Dobrowicz et in Ermyndorf cum annona ceterisque suis attinentiis vicariae seu altari sanctae Barbarae virginis et martyris in ecclesia nostra praedicta a sinistris introitus decani circa ostium, quo decanus Mynensis pro tempore chorum intrare solet, situato — quam quidem vicariam seu altare dominus Ernestus de Molhusen pro nunc tenet et possidet, per nos et capitulum nostrum applicentur — ita quod idem dominus Nicolaus de Mochow et omnes sui in eadem vicaria sive capella beatae Mariae virginis successores, praefatos redditus — tamquam eidem beneficio annexos et unitos percipere et habere, ac singulis diebus per anni circulum in ortu diei unam missam in capella antedicta teneantur et debeant perpetuis temporibus celebrare, praenominatus autem dominus Ernestus et omnes sui — successores — redditus in Dobrowicz et in Ermyndorf — perpetuo percipere et habere ac singulis annis duas sexagenas Fribergensium grossorum, unam videlicet in festo sanctae Dorotheae virginis et martyris, reliquam vero in die octavo eiusdem festi, quod quidem festum sanctae Dorotheae et diem octavum eiusdem memo-